Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

# Dan. Stalii Regulae Philosophicae explicatae & Orationes aliquot

Stahl, Daniel

Jenae, 1662

Regula II. Verum vero consonat

urn:nbn:de:bsz:31-102400

Visual Library

dicium de veritate licet ſumere ab autoritate dicentis, & ideò aliquid verum eſt, quia Deus dixit.

IIX. Reſp. Sacra Scriptura, & quicquid Deus dicit, formaliter verum eſt ex eô, quod cum objectô convenit; quia autem Deus ipſa veritas eſt, & mentiri nequit, ideò dicimus, *aliquid verum eſſe, quod à Deo ſit prolatum*, non quod formaliter per hoc verum ſit, ſed id intelligitur *arguitivè*, uti loquuntur Scholaſtici, quia nimirùm ex eô, quod à Deô aliquid pronunciatum eſt, certiſſimè & infallibiliter colligitur, id cum objectô convenire, ſeu rem ita ſe habere, ſicut dictum eſt.

## REGULA II.

*Verum vero conſonat.*

I. Uſitata hæc eſt propoſitio. Sed obſtare videtur, quod propoſitiones de materiis diverſis non conſonant. Ut ſi dicas: *Solem eſſe majorem terrâ, & ſtatum Romani Imperii eſſe mixtum*, aut *piper eſſe calidum*, & *Hannibalem viciſſe Romanos ad Cannas.* Hæc enim inter ſe nec conſonant nec diſſonant.

II. Dicendum, Regulam dupliciter poſſe intelligi: *poſitivè* & *negativè*. *Poſitivè conſonare* dico propoſitiones (nam verum & falſum ſimpliciter tantùm in propoſitionibus, ſeu compoſitione & diviſione intellectus ſunt) quæ planè aut ferè ejuſdem ſunt ſenſus: quomodo conſonant, ſi quis dicat, *definitionem converti cum definito*, alius

autem aſſerat, *definitionem debere prædicari de definito, ita ut nec latior ſit, nec anguſtior.* Et hôc modo non omne verũ vero conſonat, & hoc probatur §. præc. Deinde *negativè conſonare* dico idem eſſe, quod, propoſitiones aliquas inter ſe non diſſonare, hoc eſt, ſibi non contrariari aut contradicere. Et hoc modô Regula eſt intelligenda. Et ita conſonant illa, de quibus § *I.* h. e. nõ diſſonant, nec unum alteri adverſatur & contradicit. Et hoc vult Ariſtoteles *cap. ult. lib.* περὶ ἑρμηνείας. dum ait: ἀληθῆ ἀληθεῖ οὐκ ἐνδέχεται ἐναντίαν ἔχειν, *non contingit veram* (opinionem) *veræ eſſe contrariam*.

III. Dicis:

*Duæ ſubcontrariæ propoſitiones ſunt oppoſitæ.*

*Duæ ſubcontrariæ propoſitiones poſſunt eſſe ſimul veræ.*

*E. quædam, quæ poſſunt eſſe ſimul veræ, ſunt oppoſitæ.*

IV. Sed reſponſio eſt in promtu. Negatur enim major. Nempe duæ ſubcontrariæ non ſunt oppoſitæ, quia prædicatum in iis non intelligitur de ſubjectô ſecundum eadem ſuppoſita: quemadmodum cum dico: *Quidam homo eſt doctus*; *Quidam homo non eſt doctus*, de diverſis hominibus intelligitur. Quâ de re vide alios.

*Regu-*